AVGVSTINI BARBOSÆ,

V.I.D. LVSITANI,

EPISCOPI VGENTINI,

COLLECTANEORVM

IN

IVS PONTIFICIVM

TOMI SEX

I. Liber primus, & ſecundus, } Decretalium.
II. Liber tertius, & quartus, } Decretalium.
III. Liber quintus } Decretalium.
IV. Sextus Decretalium, vnà cum Clementinis, & Extrauagantibus.
V. Decretum Gratiani.
VI. Selectæ interpretationes vniuerſi Iuris Pontificij.

AVGVSTINI BARBOSÆ, I.V.D. LVSITANI,

PROTONOTARII APOSTOLICI,

OLIM S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSVLTORIS, & inſignis Eccleſiæ Vimaranenſis Theſaurarij maioris,

NVNC-VERO EPISCOPI VGENTINI, ET A CONSILIIS D. PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici,

COLLECTANEA DOCTORVM,

TAM VETERVM QVAM RECENTIORVM

IN IVS PONTIFICIVM VNIVERSVM.

TOMVS PRIMVS.

IN QVO DVO PRIORES DECRETALIVM LIBRI CONTINENTVR:

Præfixi ſunt INDICES, *Auctorum, Librorum, Titulorum, & Capitulorum; nec-non Capitulorum, & Legum incidenter diſcuſſarum, percommodi.*

Vltima editio ab ipſomet Auctore aucta, recognita & à mendis expurgata.

LVGDVNI,

Sumpt. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.
AVGVSTINVS BARBOSA LVSITANVS.

VT primum humanæ me Societati ſupplendæ natum agnoui, BEATISSIME PATER, ita mihi cum ea agendum intellexi, ne ſemper illi oneri tantum eſſem, & impedimento, nunquam leuamini, & adiumento. Inde totum illius columen atque fulcimen ius eſſe intelligens, & leges, his quo enixiùs poſſem promouendis animum appuli. Quibus vt & melius proficerem, ab extremo Luſitaniæ ad ſupremum Italiæ, iam altero abhinc luſtro me contuli, vt conceptos mihi in legali diſciplina labores, in regione diſciplinarum omnium, legúmque magiſtra & duce abſolutos, quaſi in Orbis theathro ederē. Vbi iam ingenij excitandi gratia, & in maiorum moliminum præludia, Commentarium edidi primum de Particulis & Clauſulis, mox creſcente cum diebus animo tractatum de Officio, & poteſtate Epiſcopi tripartitum. Et iis operam non mihi omnino luſiſſe monitus, maiora aggreſſus, Doctorum Collectanea in ius vniuerſum iam diu meditatus, abſoluenda excepi, XII. quidem Tomis concepta, ad totidem diei horarum obumbrationem, quibus vitæ hominis vniuerſa curſus eſt deſignatus, vt qui Reip. iuuandæ ſtudio me totum addixi, toto me vitæ meæ tempore addictum ſignificarem. Eorum priores duos, in Decretalium libris quinque prioribus occupatos, reliquorum è propria dignitate anteſignanos, nunc emiſſurus, alio quàm ad Sanctitatis tuæ pedes mittendos non fuiſſe agnoui. Non tam quòd rerum omnium primitias Sacerdoti afferre iuſſi à Deo ſimus; neu quod legum omnium ſpecimina noſſe Sacerdotis ius ſummum ſit (tuum maximè, B. P. qui ad ſummum iſtum thronum, non aliunde quam ex omnimoda, & ſcientiarum cognitione, & legum vtrarumque peritia, aſcenſum explanaſti) quam quod Pontificia tractantem decreta, Pontificiis quaſi libertum operas meas nonniſi ad Pontificem profiteri oportebat, vt non tam quod meum videri poterat Sanctitati Tuæ donare, quam quod ſuum erat reſtituere bona fide viderer, Iuris riuulos ad Iuris Occeanum declinando. Hos ſi tantæ menti minus ingratos fuiſſe ſenſero, nedum ad alios celebrandos calcar mihi additum agnoſcam, ſed & vires ad expeditius abſoluendos auctum iri ſperabo. Ita Deus Sanctitatem Tuam ad Eccleſiæ ſuæ tutelam, diutiſſimè ſeruet incolumem, vt aſſumpto oneri ſuccumbere non me ſinat tuum brachium cum potentia. Vale.

COLLECTANEA DOCTORVM

IN LIBRVM PRIMVM DECRETALIVM.

In Decretalium D. Papæ Greg. IX. compilationis Procemium.

SVMMARIVM.

1 *Doctores referuntur ſuper hanc Procemij Decretalium compilationem ſcribentes.*
2 *Gregorius Papa IX. quando fuit ad Summum Pontificatum euectus, oſtenditur.*
3 *Sanctus Raymundus de Penaforte varias Decretales Epiſtolas de Ordine, Gregorij Papæ IX. in hoc Volumen redegit.*
4 *Sanctus Raymundus relatus fuit in Sanctorum numerum à Clemente VIII. anno 1601.*
5 *Summi Pontifices quare cum ad ſummũ Apoſtolatus apicem eucheuntur, nomen mutant, oſtenditur.*
6 *Nomen primum quis è Romanis Pontificibus cœperit mutare, oſtenditur.*
7 *Papa dicitur Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ.*
8 *Papa habet pro propria Diœceſi totum Orbem.*
9 *Ordinarius Ordinariorum dicitur Summus Pontifex.*
10 *Epiſcopali ordine nullus maior eſt in Eccleſia Dei.*
11 *Papa aliquando vel Vrbis Romæ, vel Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum ſeipſum appellat.*
12 *Papa fratres vocat Epiſcopos quaſi ſibi æquales, Cardinales verò, & Reges, filios.*
13 *Seruus ſeruorum Dei dicitur Papa quantum ad humilitatem, nam quoad poteſtatem eſt dominus dominorum.*
14 *Papa de ſtylo ita ſe Seruum ſeruorum Dei appellat, vt ſi appareret Bulla ſine huiuſmodi inſcriptione, de falſo eſſet ſuſpecta, tanquam contra ſtylum.*
15 *Imperatores etiam ſeipſos nominat ſeruos.*
16 *Quare in die Coronationis Papæ ſtupa in ſummitate arundinis comburatur, oſtenditur.*
17 *Imperatoribus triumphantibus olim ſuggerebatur à tergo, reſpice poſt te, hominem memento te.*
18 *Nomine ſolùm proprio omiſſo cognomine cur deſcribantur Papa, Imperator, & Reges, oſtenditur.*
19 *Seruum ſeruorum Dei ſe primùm nominauit Sanctus Damaſus, & non Beatus Gregorius.*
20 *Sanctus Damaſus in inſigni Vimaranenſi oppido natus, oſtenditur.*
21 *Emmanuel Barboſa Authoris Pater laudatur.*
22 *Naturale eſt, vt vnuſquiſque patriam diligat, & nihil dulcius habeat quàm patriam.*
23 *Quare nemo Propheta acceptus in patria ſua oſtenditur ex Sancto Thoma.*
24 *Terra quæuis patria eſt, vt in adagio.*
25 *Chriſtus dicitur Rex Pacificus.*
26 *Euchariſtia diuiniſſima eſt pacis ſymbolum.*
27 *Dictio, quotidie, tempus quotidianum, & perpetuitatem ſignificat.*
28 *Lex ſuperflua remedia non inducit.*
29 *Superfluum omne eſt à Iure reprobatum.*
30 *Leges nihil fruſtrà faciunt.*
31 *Leges vnum ſpiculum ſuperfluum, & vacuum habere non debent.*
32 *Verba legis, & diſpoſitionum ſemper debent aliquid operari.*
33 *Leges ita debent intelligi ne maneant ſine effectu.*
34 *Argumentum à ſuperfluitate euitanda validiſſimum eſt in Iure.*
35 *Litibus viam aperire leges debent.*
36 *In Iure ſtatuendo, non tam Iuſtitia, quàm honeſtas expectatur.*
37 *Pars conciſa, ſeu reſecata harum Decretalium, an vim legis habeat.*
38 *Priuilegio Ciuitati conceſſo, non gaudent Caſtra, vel Villa.*
39 *Ciuitas propriè loquendo dicitur, quæ muris, & ſuburbiis continetur.*
40 *Cum de vno ſit mentio ratione frequentioris vſus, fit & ad alium extenſio.*
41 *Lex ſemper exprimere ſolet caſus frequentioris vſus.*
42 *Decretales ſibiipſis vel aliis Iuribus contrariæ reſecatæ fuerunt.*
43 *Contrarietas nulla debet eſſe in Iure.*
44 *Articuli duo, quando ſunt in lege contrarij tunc generali per ſpecialem derogatur.*
45 *Lex vna anterior, quando loquitur diſtinctè, tunc altera poſterior indiſtinctè loquens non tollit diſtinctionem legis anterioris diſtinctè loquentis.*
46 *Lex vltima, quando tollat primam contrariam de ea non faciens mentionem oſtenditur.*
47 *Simoniam an inducat modica res.*
48 *Vſura ratione paruæ quantitatis an inducat tantummodò peccatum veniale, & quid in Iuramento, n. 49.*
50 *De modico non eſt curandum.*
51 *Modica non nocent.*
52 *Minima non ſunt in conſideratione.*

SVPER hoc Decretalium D. Papæ Gregorij IX. compilationis procemium ſcripſerunt Abb. antiq. Collect. Innoc. Zabarell. Bellam. Hoſt. Ioan. Andr. Imola, 1
Anania, Butr. Bald. Henric. Boich. Panor. Felin. Petr. Gregor. Ioan. Baptiſta Viuian. *in rationali primi libri Iuris Pontificij pag.* 1. Petr. Alagona *in compendio Iuris Canonici pag.* 1. Emiſſ. Card. Calal. *in annot.* Ximen. Toletan. *in concordant. vtriuſque Iuris cum legibus Caſtellæ p.* 1. & 2. & *vol.* 1. *repet. in Iure Canonico ad primum Decretal. lib.* Ioan. Caldet.